



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

4. Quis modus servandus in testium productione & quoties producendi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

non habebant. *Laicus contra Clericum*, an & quatenus testificari possit, supra dictum quod non possit: quando agitur criminaliter. *per cap. de cetero 24. h. t.* quamvis Lopez ad *caput 4. pract. crimin.* decem casus referat, quibus Laico Clericum accusare permittitur; ut hæresis, læsæ Majestatis, simoniæ, sacrilegii, notorii criminis &c. *De Monachis* Canonicis regularibus aliisque Religiosis vix difficultate quin testificari possint: quia licet à negotiis secularibus, officiisque civilibus, ac forensibus arceantur *per cap. Monachi. 16. q. 1.* & toto *tit. ne Cler. vel Mon: secul: neg.* non tamen constat arceri à ferendo testimonio & alias neq; in causa Ecclesiæ suæ vel Monasterii testes esse possent, quod falsum esse patet ex *Can: super. 14. qu. 2. cap. nuper 51. h. tit.* modo tamen licentia superiorum accedat. *cap. si Religiosus cap. si Abbatem de elect: in 6.*

4. Quantum ad productionem testimonii, & modum producendi. Imprimis actor, vel reus petit admitti ad probandum, & dari sibi terminum probandi, & producendi testes. *Gail: 1. obs: 96.* Deinde ad-

adversario citato & comparente producens  
 testes, iudici exhibet articulos super quibus  
 eos producit, & præterea nomina testi-  
 um: qui in persona producendi omninò  
 sunt in criminalibus: in civilibus aut evocandi  
 ut coram examinentur, vel in aliâ  
 provinciâ examinandi *L. 3. §. idem ff. de test:*  
 nisi milites, senes, valetudinarii sint, aut  
 cum Magistratu Reipubl: causâ absunt,  
 aut alias venire non liceat, aut non absint  
 testimonii declinandi causa, aut publica-  
 ni fuerint, aut quid præbendum exerci-  
 tui conduxerint. *L. 3. §. ult. L. 8. & 19. ff. de  
 testib.* Extra hos evocati sequi debent, sum-  
 ptibus tamen producentis: secuti, dies 15.  
 expectare, intra quos si interrogati non  
 fuerint, impunè eis discedere licet. *cit. L. 3.  
 Donel: in L. 11. 16. & pen: C. de Testibus.* Tum  
 si productis testibus adversarius quid ob-  
 jicere velit, quod eos à testimonio repel-  
 lat, id potest facere *cap: ex parte 7. h. t.* mo-  
 do ante eorum receptionem & examen id  
 fiat, alias statim ad dicendum testimoni-  
 um admittendi sunt. Sed adversari⁹ si ve-  
 lit potest exhibere iudici interrogatoria  
 sua,

sua, ut vocant super articulis sibi prius exhibitis, secundum quæ petat à Judice testes interrogari & examinari. *cap. presentium. §. testes 31. h. t.* ut si fortè testes à producente subornati sint, id Judex insequendo interrogatoria adversæ partis facilius deprehendat. Testibus deinde testimonium dicendum admissis, & tunc partis producentis articulis, quàm partis adversæ interrogatoriis judici exhibitis, Judex ipse testes receptos examinabit, vel commissarius eius, si ipse commodè non possit. *cap. si qui testium 8. h. t. L. Iudices. C. de fide instrum:* si scilicet agatur civiliter, nam in criminalibus hæc commissio permessa non est. *Auth: apud eloquentissimos C. de fide instr.*

5. In ipso verò examinis limine, antequam testes testimonium ferant, de mandato Judicis, aut substituti eius, juramentum deponant de veritate dicendâ, quod quæ depositiones suas ante legitimam eorum publicationem neutri parti aperiant. *cap. tuis questionibus. 39. h. t. L. jurisjurandi C. eod:* quia testi non jurato minimè creditur, in præjudicium alterius, quisque